



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 8. Imperator Otho à filio ad diuinum Prætorem euocatus, inde
sententiam accipit, vnde ius stabat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

qui iudicia vestra vnam tantum aurem, & linguam accusantium duntaxat sequentia iudicet, maior iudex. Quamobrem funestum vobis iocum fuisse, euentus docuit. Quippe, vna vos dies ambos morti obiecit, vt author est Nauclerus; nec morti modo subita, sed etiam infelici ac miseræ. vnus enim, velut rabie actus, digitos proprios arrodens; alter, Arrij morte, in latrinis foetentem animam efflauit. Ita *contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*: & diuina iustitia, nec purpuras veretur, nec tiaras. Ita Altissimus summos etiam vertices sub se habet. Neque regias tantum, sed etiam Imperatorias coronas iudicio arcessit, *qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.*

Prou. 18,
18.

Iob. 34.
19.

§. VIII.

Imperator Otho à filio ad diuinum Prætozem euocatus, inde sententiam accipit, unde ius stabat.

Transeo igitur rursus à Cardinalibus ad ipsos Imperatores, qui, cum peccant, Deo soli peccant; nec enim alium, in terris, nisi illum formidant. Narrat igitur Petrus Damiani

Petr. Dā.

miani

l. 2. epist.
 is Baron.
 An. 973.
 aliter se-
 tit.

miani, vir valde sanctus & Cardinalitæ dignitatis scriptor, Othonem I. Imperatorem Romanum, ab Antistite Moguntino Guilielmo (qui filius eius fuerat) propter initum, cum Adelaide, coniugium, Christianâ Apostolicâque libertate, grauius admonitum, agrè tulisse; atq; eapropter comprehensum in custodiam compegisse. Filius vi oppressus Othonem parentem, ad Numinis tribunal, summum iudicem interpellans citauit his verbis: *Die sancto Pentecostes, ante Dominum IESVM iudicem nostrum, uterq; comparebimus, & de capite causam dicemus. Vter noster equitatis lineam transgressus sit, diuinum pandet iudicium.* Neque effectu caruit citatio: Quippe, nonis Maij, hoc est, ipso tunc festo Pentecostes, Otho Imperator, in Saxonia, repentina inualitudine extinctus, ad iudicium adductus est, vbi eum filius Guilielmus, & ipse paulò prius humanis rebus ereptus, expectauit. Nimirum & parentes in sobolem possunt esse iniqui, & Cæsares in subditos iniusti, imo & in non subditos. Sed in diuino prætorio, idem ius est filio, quod patri; eadem Dice inferiori, quæ superiori. *Idcò viri cordati, audite me; absit à Deo impietas, &*

Iob. 34.
 10.

ab

qui iuste ad Dei Iudicium citantur. 143

ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum, restituet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subuertet iudicium. Cæsarem posuit iudicem reliquorum, in causis ciuilibus; ipse Cæsaris est iudex in omni causa. Quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum.

*Apoc. 17.
14.*

§. IX.

*Eques Neapolitanus, contra Clementem VI.
& Philippum Pulchrum ius è calo petit.*

Immo vsq; adeò, Isaiaè testimonio, Exaltabitur Dominus exercituum, in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia, vt, si vel ipsorum Maximorum Pontificum aures iustissimis defensionibus obstructæ sint, ipse audiat, ad cælum vociferantes, Innocentes se accusari, damnari, mactari. Nam vt non repetam, quod de Clemente. V. & Innocentio IV. supra recensui, annotauit Fulgofus, equitem Neapolitanum, ex Templariorum ordine atque cœtu vnum, cum alijs Sodalibus suis, vltimo supplicio addictum, ad Clementem VI. & Philippum Pulchrum Franciæ regem, supplicij sui authores, & è fenestra, spectatores, exclamasse: Quando mihi, inter mortales, nullus iam superest, ad quem

Isa. 5. 16.

*Fulgo-
sus. l. 1.
c. 6. Me-
ierus l. 2.
Annal. &
l. 17.
Chron.
Mafs. O-
nuphrius.
in pp.*